

fuerit teneatur eidem procuratori prebere auxilium et favorem in exigendo predictas condempnationes, ut tenetur ex forma statutorum Tergesti. ¶ Et teneatur et debeat dictus procurator facere et ostendere rationem de exactis per ipsum domino
5 potestati et iudicibus quolibet mense, prout facit procurator generalis comunis, et facta ratione incontinenti dictos denarios per ipsum sic exactos dicto procuratori comunis, (et ipsos eidem) consignare. ¶ Et durent in dicto offitio per medium annum, et habere debea[n]t pro suo salario dicti offitii tres
10 sold. par. pro qualibet libra par. // per ipsos exactorum comuniter inter ipsos, non preiudicando eis aliquod offitium quod habuissent vel habere possent; sed durante in dicto offitio aliud offitium habere non possint. 44 A

15 Cap. XXVI. Rubrica de ellectione iusticiariorum comunis Tergesti.

Ordinamus quod in ellectione iusticiariorum comunis Tergesti procedatur in hunc modum: videlicet quod ab introitu cuiuslibet mensis octo diebus fiat maius conscilium, in quo dentur octo brevia pro octo iustitiariis eligendis, et quilibet
20 habens ex dictis brevibus eligere debeat unum iustitiarium etatis vigintiquinque annorum et ultra, meliorem quem sibi videbitur pro comuni utilitate, quibus octo iustitiariis sic electis balotentur in maiori conscilio singulariter, videlicet quis vult et quis non vult, et illi quatuor ex dictis octo iustitiariis
25 qui habebunt plures balotas sint firmi iustitiarii comunis, et durent in dicto offitio per unum mensem. ¶ Et ab exitu sui offitii in antea vacare debeant a dicto offitio per octo menses, non preiudicando¹⁾ eis aliquod offitium quod habuissent vel habere possent seu haberent, salvo quod qui esset iudex ipso
30 ente iudice illud offitium habere non possit, et exceptis daciariis becharie tabernarie bechariis tabernariis et panicoculis, qui similiter dictum offitium habere non possint. ¶ Quibus iustitiariis sic confirmatis, postquam iuraverunt dictum offitium,

¹⁾ pro iudicando.